

Et partim contusa magis concessit in altum,  
 Dissoluuntur enim tum demum membra, fluuntque.

Propterea recipienda non est Aphrodisei opinio: ille enim septuagesimo primo problemate libri secundi, ubi quaerit, quur somnum lassitudo afferre possit, reddit hanc rationem: ex lassitudine ficcari corpus, siccitatem calorem abolere, quippe cum humor caloris sit nutrimentum, caloris autem abolitio frigus augeat, hoc verò somnum parere. Nam quum ille antea ob humorem, & vaporem, somnū creari docuerit, principia sua nequaquam feruat: nimirum somni causam hic sumens, à frigiditate. Deinde plurimi sunt, qui post laborem, & lassitudinem dormiant, multo tamen humore adhuc pleni: adeò ut nulla euidens exiccatio adsit, quæ calorem abire cogat, frigusque augeat: hoc enim non per omnem humoris consumptionem, sed eius potissimum, qui in singulis membris est insitus, exuperare est aptum: hoc enim modo senum corpora frigida euadunt: cum defectu vero aliorum humorum, etiam acris calor consistere potest, sicut in biliosis naturis, & morbis apparet. Igitur ex labore absimitur quidē humor, at non ob siccitatem, aut frigiditatem corporis somnus accedit, sed quod spiritus, & calidum innatum influens, dissolutum ut diximus, ad suos fontes contrahatur, cuius opinionis quoque fuit Galenus. Quur verò cogitatio, & lectio, aliquando somnū, aliquando vigiliam pariant, docere nititur Aristoteles, septimo problemate decimæ octauæ sectionis, causamque sumit ex motu spiritali, & intelligentiæ: ac multa alia eo loco affert, quæ aut obscuriora sunt ipsa questione, aut certè non pendent ex principijs, quæ ille alibi de somno posuit, vniuersa ex vapore sumpta. Nos crassius fortasse quam ille, sed clarius aliquid dicemus, in quo animus quiescere possit. Igitur videndum est, qualis sit lectio, cogitatio, & quomodo sit corpus affectum, quando legimus, aut cogitamus. Nam si acerrima, atque attentissima sit cogitatio, & lectio, vigilia primū fit, eo quod ille ob vehementiā actionis, & obiecti, ad externas partes calorem commoueat, ubi mens, & sensus exercentur. At si remissæ fuerint, quum nihil habeat calor, quod illum cogat in illis partibus versari facile contrahitur in viscera, ubi vel concoctio, vel aliud adest, quod calorem ad suos fontes retrahat. In corporibus plenis cibo, & potu cogitatio, & lectio, somnum inuitant, propterea quòd vnà cum calore, vapores ab infernis partibus alliciant, à quibus caput repletur, & grauatur, obstruiturque ipsi calori via, ex qua re ipse impeditur in sensorijs versari: nisi vehementia obiecta cogitationis præualeant, cogantque calorem consistere, sine quo actio nulla fieri potest: tunc enim vigilia fit, vincente eo, quod ad externa calorem mouet. In corpore verò exiccato, non ob vapores, sed ob caloris debilitatem, & resolutionem, cogitatio somnum parit, præsertim si longa fuerit: breuis autem vigilia est author: quia calorem ad externa membra commouet. Videndum ergò est, quid calorem moueat extrà, quid intrò contrahat, quid maiorem vim intus habeat, aut quid fortis patiat corpus, ex quo caloris motus concitari, aut impedi ualeat, ac tunc demum intelligemus, quur desinant aliquando externæ actiones, aliquando internæ exerceri. Porrò circulares motiones, somnum pariunt (ut diximus) eo quòd innatum hoc calidum distrahitur à sensorijs, quo fertur recto itinere: sic enim experimur post saltationes, & choreas, quæ in circulum obeuntur, somnum obrepere. Idem faciunt ferè motiones reliquæ, quæ multiplices, variæque sunt. Distrahunt enim minimo tēporis intervallo, nunc in vnā, nunc in aliam partem capitis spiritum, calidumque innatum. Vnde sensus communi instrumento destituti, agere nequeunt, atque ita somnus fit. Aprodiseas verò centesimo vigesimo problemate libri primi, credit infantes ex motu, & vacillatione somno corripi, eo quòd per huiusmodi agitationem, humores commoueantur à cerebro: quod quidem mihi omnibus cōmune nequaquam videtur: sed ijs dūtaxat qui perhumido, & pituitoso sunt cerebro. At mirū, si saltationes circulares, ob humorem aliquē, somnum faciāt: quare probabilius esse puto, in omnibus qui ex huiusmodi motionibus sopiuntur causam ponere, ex impedito cursu caloris, ob eius distractionem, & ut ita dicam, flexuosum iter. Iam verò ob reuocationem caloris somnum fieri, ratio docet. Nam quod in vno negotio versatur, alijs simul seruire commodè nequit: Vnde studiosi literarum cruditatibus laborare solent: quia calorē à ventriculo reuocant ad cogitationes. Porrò calor distrahitur pari ratione à sensorijs, ad concoctionem nutrimenti obeundam in ventriculo, & hepate. Vnde videmus fieri ut ingesto cibo, etiā siccissimo, ex quo nulla, aut certe magna vis vaporem attolli ad caput non potest, somnum excitari: eadem ratione, ubi crassi, frigidiq; humores, internas partes infestant, vel vrget inflammatio, somnus expetitur: non ob aliam (ut arbitror) causam, quam quòd calor natuius (ut ita dicam) reuellatur, ducaturque à sensorijs, ad ea vincenda, quæ illius opera ad concoctionem opus habent. Eodem pacto frictiones, lotiones calefacientes, quæ extremis corporis partibus adhibentur, somnum efficiunt, quòd calorē deorsum trahant, & à capite, sensorijsque reuellant. Quur verò titillatio & fricatio plantarum somnum afferant, quaerit Alexander Aphrodiseus problemate quadragesimo secundo libri secundi, aitque illius rei hanc esse rationem, quod quum extrema neruorum eò concurrant, & coeant, per illos ea pertractatio leuis, ad cerebrū usque transmissa, permulceat animum, atque ad requiem, & somnum inuitet: Addit quosdam esse, qui credant per huiusmodi titillationes, & fricationes, humoris ad extremas eas partes delabi, & rursus eosdem remeare per neruos ad cerebrum, quod humore repletum somnum facit. At si ille an-